



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. III. Præcipuæ objectiones solvuntur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

in Tractatu de virtutibus Theologicis, disp. 1. a dubio. a veritate deviare, cum dicunt omne a Deo revelabile comprehendere sub objecto materiali adequato fidei. Nam aliud est posse esse objectum materiale fidei, & aliud esse re ipsa objectum materiale fidei: ad primum enim sufficit esse revelabile, seu posse a Deo obscure revelari, ad secundum requiritur esse actu revelatum, si- cut ut aliquid sit objectum materiale visus, non sufficit posse esse coloratum, sed debet esse actu tale: nos autem loquimur de objecto materiali fidei quod est, seu de eo quod est objectum mate- riale fidei, non autem de eo quod tantum tale esse potest.

Dices cum Suarez: Quidquid potest fide divina credi, est objectum materiale fidei: Sed omne a Deo revelabile potest fide divina credi: Ergo omne a Deo revelabile est objectum materiale fidei.

Sed facile respondetur, distinguendo Mayo- rem: Quidquid potest proximè & completè fide divina credi, est objectum materiale fidei, con- cedo Mayorem. Quidquid potest fide divina credi remotè tantum, quia scilicet potest obscure re- velari, nego Mayorem. Similiter distinguo Mi- nores: Omne a Deo revelabile potest fide divina credi: potentia proximè & completè, nego Mi- nores: potentia remota & incompleta, concedo Minorem, & nego Consequentiam.

§. III.

Præcipue objectiones solvantur.

Obijcies primò contra primam conclusionem: D. Thomas hic art. 1. in corp. ait: *Si conside- remus materialiter ea quibus fides assentit, non solum est ipse Deus, sed etiam multa alia*: Ergo, juxta D. Thomam, Deus sub ratione Dei- tatis, seu primæ veritatis in essendo, non est ob- jectum formale quod fidei, sed materiale solum.

Respondet D. Thomam ibi loqui de objecto materiali, per comparisonem ad rationem sub qua, quam antea dixerat esse objectum formale: objectum verò materiale sic acceptum, compre- hendit omnia ad quæ fides se extendit, sive pri- mario, sive secundario, sive per se & ratione sui, sive per accidens & ratione alterius & vocatur extensivum. Quare licet Deus, facta compara- tione ad revelationem divinam, quæ est ratio formalis sub qua fidei, possit dici quodammodo objectum materiale illius, sicut color compara- tivè ad lucem, quæ est ratio formalis sub qua vi- sus, ejus objectum materiale dicitur: absolute tamen, & per comparisonem ad fidem, est ob- jectum formale quod; quia attingitur per se primò, & non ratione alterius quod prius debeat at- tingi ut quod; & ratione illius cetera a fide considerantur, ut docet S. Doctor post verba in objectionem adducta, subdens: *Quia tamen illa multa, sub assensu fidei non cadunt, nisi secundum quod habent aliquem ordinem ad Deum, pro- ut scilicet per aliquos divinitatis effectus ho- mo adjungatur ad tendendum in divinam fruitio- nem*. Unde tandem concludit, quod objectum fidei est quodammodo veritas prima, inquantum nihil cadit sub fide, nisi in ordine ad Deum: sicut etiam objectum medicine est sanitas, quia nihil medicina considerat, nisi in ordine ad sanitatem. Ubi per ly objectum, intelligit objectum formale quod, ut patet exemplo sanitatis quod adducit;

A sanitas enim est ratio formalis quæ per se primò à medicina respicitur: & per veritatem primam, significat primam veritatem in essendo, non ve- rò in dicendo; nam de prima veritate in dicendo paulò superius dixerat esse rationem formalem sub qua fidei.

Obijcies secundò: Deus sub ratione Deitatis est objectum formale quod Theologiæ: Ergo secundum illam rationem non potest esse ob- jectum formale quod fidei. Consequentia videtur legitima: tum quia habitus specificentur ab ob- jectis formalibus, duo habitus specie distincti, quales sunt fides & Theologia, non possunt idem objectum formale respicere.

B Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam. Ad cujus probationem dico ha- bitum non specificari ab objecto formali quod, nisi prout substat rationi formali sub qua: unde ut fides specie differat à Theologia, non requiritur quod diversum objectum formale quod res- piciat, sed sufficit quod sub diversa ratione for- mali sub qua idem objectum formale quod attingat. Quare D. Thomas 1. p. quæst. art. 1. ad 2. di- cit quod *diversa ratio cognoscibilis, diversitatem scientiarum inducit; eandem enim conclusionem demonstrat astrologus & naturæ, puta quid terra est rotunda; sed astrologus per mediū mathematicū, id est à materia abstractum; naturalis autem per mediū circa materiam consideratum*. Cum er- go similiter fides & Theologia Deum, ut est pri- ma veritas in essendo, diversimodè attingant, nempe sub revelatione formali & immediata, & sub virtuali ac mediata, sunt habitus specie diver- si, licet idem objectum formale quod respiciant.

C Obijcies tertio: Nulla datur virtus supernatu- ralis, quæ Deum sub ratione sapientis, vel om- nipotentis respiciat tanquam suum objectum formale: Ergo nec ulla datur, quæ pro eodem ob- jectio habeat Deum sub ratione primæ veritatis in essendo. Antecedens constat, alias enim, cum virtus illa esset theologia, quia respiceret Deum ut Deum, darentur plures quam tres vir- tutes theologicæ. Consequentia verò inde pro- batur, quod Deus non sit magis attingibilis sub ratione primæ veritatis ab aliqua virtute, quam sub ratione sapientis vel omnipotentis.

D Respondet concessio Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem. Rationem dispari- tatis assignat D. Thomas quæst. 1. de virtutibus art. 12. ad 10. ex eo quod illæ solum virtutes theo- logicæ admittenda sint, quæ nobis necessariae sunt, ut Deum tanquam finem nostrum attinga- mus: ad hoc autem, præter fidem quæ Deum ip- sum tanquam finem cognoscimus, spem, quæ nos ipsum obtenturum speramus; & charitatem, quæ cum diligimus, nulla alia requiritur, per quam e- undem Deum, sub ratione sapientis, vel omnipo- tentis, respiciamus.

E Obijcies quarto: Si fides Deum sub ratione Deitatis, ut objectum formale quod respiceret, esset nobilior charitate, cum ista respiciat divi- nam bonitatem, quæ cum non sit Dei essentia, sed solum aliquod ejus attributum, non tantum exprimit perfectionem, quàm Deitas.

Sed negatur sequela: nobilitas enim potentia, vel habitus non petitur ex nobiliori objecto in esse entis spectato, sed formaliter in ratione ob- jecti considerato: objectum autem fidei, si for- maliter in ratione objecti consideretur, non est nobilior objecto charitatis; quia objectum cha- ritatis

ritatis est bonitas Dei ut est in se, objectum verò fidei est Deitas prout in intellectu creato per revelationem obscuram recipitur.

28 Objicies quòd: Fides, cum non solum sit speculativa, sed etiam practica, ut infra dicitur, debet habere objectum practicum & operabile: Sed tale non est Deus sub ratione Deitatis, seu primæ veritatis in essendo: Ergo sub hac ratione non est objectum fidei.

29 Respondeo concessa Majori, negando Minorem: nam ut objectum fidei sit practicum, non requiritur quòd sit à nobis operabile, sed sufficit quòd à nobis possit obtineri, & quòd ex illo, tanquam ex prima regula morum, sumatur ratio agendorum hoc autem modo Deus, seu veritas prima in essendo, objectum practicum esse potest, cum sit noster finis ultimus, & ex fine sumatur ratio agendorum.

§. IV.

Objectiones contra secundam conclusionem.

30 Contra primam partem secundæ conclusionis, in qua diximus objectum formale sub quo fidei esse primam veritatem in dicendo, in primis objici potest. Illud est objectum formale sub quo fidei, in quod tota ratio, ob quam credimus Deo, ultimo resolvitur: Sed ratio propter quam assentimur Deo revelanti, non resolvitur ultimò in primam veritatem in dicendo, sed in Deitatem, quæ est prima veritas in essendo: Ergo objectum formale sub quo fidei, non est Deus ut est prima veritas in dicendo, sed quatenus est prima veritas in essendo. Major patet: Minor verò probatur. Si aliquis è fidelibus interrogetur, quare credit Deo, veritates fidei revelanti, optimè quidem respondebit, quia Deus est prima veritas in dicendo: verum si ultra ab eo petatur, cur Deus sit prima & summa veritas in dicendo, non aliter satisfaciet, nisi dicendo quia est Deus: Ergo ratio ob quam assentitur fidelis Deo sua mysteria revelanti, non ultimò resolvitur in primam veritatem in dicendo, sed in Deitatem, sive in primam veritatem in essendo.

31 Respondeo primò negando Majorem: nam licet in cognitione discursiva, seu in demonstratione propter quid, ratio formalis sub qua sumatur ex illo principio in quod sit ultima veritatis demonstrata resolutio; in notitia tamen simplici, & non discursiva (qualis est cognitio fidei, ut infra dicemus) in aliqua ratione immediata sibi potest, nec requiritur quod fiat assensus usque ad primum principium.

Respondeo secundò, data Majori, negando Minorem: nam ut rectè ait Cajetanus hic §. his suppositis. *Inter causas credulitatis veritas (indicendo) est ad quam stat ultima resolutio: credo namque Deo, quia est ipsa veritas; nec potest amplius queri, quare credis veritati? Nec obstat quod Deitas, seu Dei essentia, sit virtualis causa veritatis in dicendo, seu veracitatis: nam ut ibidem subdit idem Cardinalis, Hoc non per se spectat ad causam assensus, sed ad causam rei: undecumque enim proveniat quod Deus est ipsa veritas, sat est ad hoc quod ipsi credam infallibiliter, quoniam à veritate non potest falsum manare. Unde sicut quamvis albedo proveniat à natura nivis ut à causa, cum tamen queritur, cur nix disgreget visum, & respondetur, quia est alba, hæc est ultima hujus questionis resolutio: ita quamvis veritas in di-*

ciendo seu veracitas proveniat à natura Dei ut à causa virtuali, in illam tamen sit ultima fidei resolutio tanquam in causam propriam credulitatis: Ex quo patet responsio ad probationem Minoris: concessio enim Antecedente, neganda est Consequentia: nam postquam fidelis interrogatus cur credat Deo, respondit, quia est prima veritas in dicendo, sibi ut fidelis, addidit ut si iterum quaratur ab eo, cur Deus sit prima veritas in dicendo, non interrogetur ut fidelis, sed ut Theologus & sciens: unde ex eo quod questionari illi respondeat, quia Deus est, non rectè inferatur rationem ob quam credit Deo revelanti, res solvi in Deitatem, sed ad summum inde potest concludi rationem sive medium demonstrationis, quam ut Theologus habet de illa veritate, Deus est prima veritas in dicendo, esse Deitatem. Et ratio huius est, quia sicut in objecto visus, licet color habeat rationem à priori in essendo, nempe temperamentum quatuor primarum qualitatum, ejusmodi temperamentum non est primario, sive primum principium specificans visum, sed tantum ipse color; ita similiter licet prima veritas in dicendo habeat in essendo rationem à priori scilicet Deitatem, non tamen in causando formaliter assensum fidei, quare omnis talis assensus in ipam ultimò resolvitur. Unde rectè ait Cajetanus, *Fatum esse questionem, si quis alteri interroget, cur credat primæ veritati revelanti?*

Objicies secundo: Si objectum formale sub quo fidei esset veritas prima revelans, fides non distingueretur à prophetia: cum hæc etiam primam veritatem revelantem ut objectum formale respiciat, assentiuntur enim Prophetæ Deo revelanti, quia est prima veritas.

Sed negatur sequela: licet enim prophetia primam veritatem revelantem respiciat, non tamen eo modo quo fides; nam fides respicit primam veritatem revelantem obscure, & per se petit obscuritatem, evidentiam excludentem; prophetia verò nequaquam, sed indifferenter se habet ad obscuritatem vel evidentiam: unde licet in Christo non fuerit, nec potuerit esse fides, bene tamen lumen propheticum, seu prophetiæ donum, ut docet S. Thomas 3. p. quæst. 7. art. 8. Præterea plures aliæ inter fidem, & prophetiam reperiuntur differentie: nam ut idem Doctor quæst. 12. de verit. art. 10. ad 4. docet, prophetia perficit intellectum secundum se, fides verò perficit in ordine ad affectum: ideoque ista exigit piam motionem & affectionem voluntatis, non verò illa, Prophetia datur per modum corruscationis transcurrentis, ut docet idem Doctor Angelicus infra quæst. 171. art. 2. fides verò est habitus in intellectu permanens Fides primò & per se respicit aliquid æternum; prophetia verò aliquid temporale, teste eodem D. Thomà in 3. dist. 24. quæst. 1. art. 1. quæstione. 1. ad 3. ubi ait. *Quamvis prophetia & fides sint de eodem, sicut de passione Christi, non tamen secundum idem: quia fides formaliter respicit passionem, ex parte illa qua subest aliquid æternum, scilicet in quantum Deus est passus; hoc autem quod temporale est, respicit materialiter: sed prophetia de contrario.*

Objicies tertio: Si objectum formale sub quo fidei esset prima veritas ut revelans, daretur processus in infinitum: qui enim credit Deum esse Trinum, quia Deus revelavit, oportet quod etiam huic propositioni, Deus revelavit, assentiatur; & hoc per aliquam aliam revelationem, alioquin